

lationes **83** persecutionum excipientes ad promissa præmia pervenerunt. Hoc ergo scientes, ne circumferamur errorum seductione decepti; sed potius firmi et immobiles maneamus, ut cogitationum pervagationes, quæ velut aquæ effervescent, divinæ legis assidua memoria refrenemus, per quam carnalis concupiscentiæ legem destruentes, omne quod Deo placitum est exquirere valeamus: et custodiamur illæsi a curis sæcularibus, omnique elatione, quæ est insania pessima, pejor omnium malorum. Dominum semper præ oculis habentes, reminiscamur passionem crucis ejus ac mortis, per quem redempti ac vivificati sumus. Odiamus ergo mundum et omnia quæ in eo sunt, odiamus etiam.

A omnem requiem corporalem. **84** Abrenuntiemus huic vitæ, ut Deo vivere valeamus.

Memores ergo simus, charissimi, professionis nostræ, quemadmodum Deo polliciti sumus deservire: hoc ipsum enim exquiritur a nobis in die judicii. Esuriamus, sitiamus, nuditatem perferamus, vigilemus, et in psalmis atque orationibus positi ex intimo corde ingemiscentes lacrymas effundamus; nosmetipsos cauta discussione probantes, si vel in aliquo digni Deo pro ejus immensa clementia inveniri mereamur. Tribulationis angustiam non refugiamus, ut consolationis Dominicæ requiem consequamur; et immortalis vitæ ac sempiternæ requiem percipere mereamur.

SS. PP. PACHOMII ET THEODORI

EPISTOLÆ¹ ET VERBA MYSTICA.

EPISTOLA PATRIS NOSTRI PACHOMII

Ad sanctum virum Cornelium, qui Pater fuit monasterii Mochanseos: in qua loquitur juxta linguam quæ ambobus ab angelo tradita est, et cujus nos sonum audimus, cæterum vires et sensum intelligere non possumus.

I. Deus sapiens, Deus absque ullis occasionibus bonus, Deus sine omni querela, dedit requiem spiritui tuo: et tu da requiem animæ tuæ: ut lætetur Sion in diebus nativitatis suæ. Fac opus Iotæ, quod vocatum est Y in diebus antiquis: et pone Delta ante oculos, ut bene sit animæ tuæ. Ro tetendit manum suam, ut perveniret ad te; quod est Iota: hoc est sepulcrum cubiculi tui. Cane tu Ω , ne forte Ω tibi canat sæculum impudentissimum. Lætetur tecum, ne tu cum sæculo gaudeas procacissimo. Memento Heta: ne obliviscaris Kalendarum, quæ sunt dies paupertatis et cubilis tui. Tolle tibi Iota, quod præcipuum est ex eis: non enim erat Lambda in Heta; et idcirco enutritus es sine pannis. Revertere ad Kalendas quæ sunt Xi. de Y paraverunt plaustra tabernaculi principes tribuum, et obtulerunt ea lætantes, cunctaque dona cum omni gaudio. Et tu ut sapiens cognosce capillum capitis tui in via, ut veniat gratia super his, quæ sunt dies innocentie tuæ. Nunquid non Kalendæ sunt Tau?

¹ De hisce epistolis Gennadius cap. 7: « Pachomius, inquit, scripsit ad collegas præposituræ suæ epistolas, in quibus alphabetum mysticis tectum sacramentis, velut humanæ consuetudinis excedens intelligentiam clausit, solis credo eorum gratiæ vel meritis manifestatum. Unam ad abbatem Syrum, unam ad abbatem Cornelium. Ad omnium monasteriorum præpositos, ut in unum antiquius

B Heta est Pascha. In his omnibus ne obliviscaris Simmæ, quod vocatur quidem Simma, sed habet communionem cum Ro: donavit illi partem suam, ut fiat dives in Ω . Litteræ hujus Epistolæ scriptæ sunt Delta, et Iota. Saluta caput et pedes, et manus, et oculos, et reliqua spiritus tui, quæ sunt Alpha.

EPISTOLA PATRIS NOSTRI PACHOMII

Ad Patrem monasterii Syrum, qui et ipse gratiam cum Pachomio et Cornetio angelicæ linguæ acceperat.

85 II. Memento quæ scripserim tibi Y, in Epistola propter Tau scriptum, et recordare, et scribe Ni propter Simma quod scriptum est. Numquid Xi non est Y, quod in Kappa convertitur? in his omnibus recordare, et scribe Ni et Iota ut Alpha pulchre scribatur in gratiam excelsorum. Numquid **86** Moe non est Y et Kappa, Kappa non est Tau? **C** Aperi os tuum, et leva faciem tuam, ut oculi tui videant, et possis legere quæ scripta sunt. Attende diligenter, et cave ne scribas Delta super Phi, et inveterescant dies tui, et aquæ tuæ imminuantur. Memento, et scribe Theta et Ro ut Ro scribatur bene.

EPISTOLA PATRIS NOSTRI PACHOMII

Ad Patrem monasterii Cornelium, quod vocatur Mochanseos.

III. Honora Dominum, et confortaberis. Memento gemitus sanctorum, Simna et Phi fiat: domus tua

monasterium, quod lingua Ægyptiaca Baum vocatur, congregati Paschæ diem velut æterna lege celebrent, epistolam unam. Similiter et ad diem remissionis, quæ mense Augusto agitur, ut in unum præpositi congregarentur, epistolam unam; et ad fratres, qui foras monasterium missi fuerant operari, epistolam unam. »

juxta annos tuos sit disposita, juxta exempla sanctorum, non in cibis temporalibus, neque in ulla similitudine eorum, quæ videntur in cælo sive in terra. Habetote α , ut possitis occurrere Deo in die visitationis, liberati ab increpatione Marthæ. Para domum tuam secundum terminos ejus. Observa Theta, ne reus sis increpationis ejus, cui dictum est. *Redde rationem dispensationis tuæ* (Luc. xvi, 2); vel illius qui comedit et bibit cum ebriis, quando noluit fodere nec dare conservis cibaria in tempore suo (Matth. xxiv). Ideo reddiderunt ei, quia oblitus est legis Dei, et infirmos visitare contempsit. Et idcirco fluctuare cœpit, et indigere pane: imitans homines confidentissimos et arrogantes, qui noluerunt domum Hi. Homo, cognosce quæ dicuntur, quia bellum Domini in manibus eorum est, et creditum est eis, ut regerent carnem suam, et stare facerent; si forte possent effugere increpationem Danielis, et ruinam Esau, et duritiam Moab, et defectionem Ismaelis, et illecebras saturitatis ac ventris, quia sapuerunt ea quæ super terram sunt. Abundantia autem hominis sapientia ejus est. O homo! trade disciplinæ cor tuum, ne multiplices mortuos in contemptu et negligentia tua, propter errorem cordis tui. O homo! ne visibilia despicias. Mercenarius non est pastor: in tenebris vulpes comedunt. Tene gladium gloriæ tuæ, cognosce lorica justitiæ, et ne contempnas habitaculum sapientiæ. Fac tibi sacculos, qui non inveterescant, ut possis ad foramen aspidum mittere manum. Ne inebrieris vino, ex quo ruinæ fiunt plurimæ, et ambulant nudi super terram. Cogita quod lex data sit de muliere menstruata, ut extra castra projiciatur; viæ enim ejus stratæ sunt spinis. Paupertas humiliat virum, et perstillat domus, ubi otiosæ sunt manus. Ne infirmeris ad plagas lignorum, Tau et Ro. Ventris insania pejor est omnibus malis. Error oculorum imminuit prudentiam sapientum. Deficit sapiens propter concupiscentiam carnis in carne, quod sanguis sanguini misceatur. Omnes qui estis cooperatores Dei, ne perdatis gloriam vestram. Scito ante omnia quod si fueris in Alpha, Deus consentiet tibi. Cum autem Deo consenseris, in quo cursus tuus est, gaudere non poteris in omnire vanas: cujus si curam gesseris, prudentia tua vertetur in stultitiam. Qui ebrius est, ebrium non potest adjuvare. Qui errat, quomodo erranti monstrabit viam? qui voluerit ductore eo uti, væ illi. Cæcus enim cæcum ducet in foveam. Sapientia apud sanctos est, et in illis Dei voluntas reperitur: non in his quibus repugnat Deus, et qui dicunt: Deus in nobis est gaudium eorum convertetur in luctum. Non enim cognoverunt mysterium Dei: neque invenerunt viam servorum, ut operentur in ea. Flagellati sunt, et non doluerunt: seducti sunt, et non intellexerunt. In \mathcal{S} his omnibus, o homo Dei, revertere in excelsum; quod est scientia sapientiæ. Scriptum est, *Non concupisces* (Exod. xx, 17), et rursus, *Non inebriaberis*

A Desiderium non est unius rei. Laudatur peccator in operibus manuum suarum. Dictum est et aliis: *Qualem domum ædificabitis mihi* (Isa. lxxvi, 1)? qui quadraginta annis audierunt sermonem Dei, et non ei obtulerunt victimas, nec annis septuaginta jejunaverunt illi. Cor enim eorum erat post idola, nec voluerunt Deo vacare dicenti: *Vacate et videte quoniam ego sum Deus* (Psal. xlv, 41). et usque ad hanc diem non vacant Deo! Dicitur tibi, homo. *Quare diligitis vanitatem* (Psal. iv, 3)? An cor vestrum aggravatum est? Cain operabatur terram, ut offerret victimas Deo, et condidit civitatem; sed non juxta scientiam, quæ placet Deo, fecit hæc omnia. Noe et omnis domus ejus in arca de mundi est servata naufragio. Abraham dives fuit: Isaac reliquit benedictionem Jacob. Ipseque Jacob intellexit quem amare deberet, et benedictionem ejus legis instar habuerunt. Joseph adjutor fuit generis sui, quia peccatum fugit, et detestatus est voluptatem, ostendit que posteris quod visitaturus eos esset Deus, et aperuit mysteria futurorum, memoriam relinquens sapientiæ suæ. Surrexit postea Moyses, qui sæculi vicit illecebras, divitias pro nihilo habuit, Ægyptiorum sapientiam stultam esse monstravit. Idcirco Jesus ministrabat ei, qui intellexit doctrinam eorum, et habuit socium Caleb. Homines stulti non intellexerunt hæc, et idcirco lumen tenebras esse dixerunt. Deus dedit justificationes suas, ut ambularet populus in eis, et in his omnibus non invenerunt cor suum, nec conversati sunt in, mandatis Dei; sed vacabant desideriis suis, et non operibus Dei. O homo! usquequo non audis diceptem tibi: *Vacate, et videte quia ego sum Deus*: sed unusquisque sequitur cogitationes animæ suæ? Num visitastis infirmos, quare moriemini? cur ad laqueum curritis? Hæc sunt enim præcepta vitalia, quæ acceperunt sancti, ut versarentur in eis, ut nihil aliud cogitarent, ut facerent opera digna immortalitate. Volatilia cæli non seminant nec metunt, et Deus dedit eis, ut raperent \mathcal{S} ex universis fructibus, et gratuito viverent. Homo iniquus et pessimus qui res alienas desiderat, imitator est avium pessimorum: rapit et comedit non sua. Hos vitare debemus, et intelligere parabolas, et non esse raptores et iniqui; sed imitari majores nostros, qui placuerunt Domino, et increpaverunt Adam, quia comedit ad persuasionem Evæ. Quia antequam comederet, nomina cunctis rebus imposuit, et nunc quoque suis vocabulis appellatur. Postquam autem comedit, ejectus est de paradiso, et operatus est terram, genuitque Cain et Abel, qui creverunt, et operati sunt juxta voluntatem suam. Opus Abel placuit Deo magis quam Cain, quia quæ erant electa et primaria offerebat Deo; e contrario Cain, si quid deterius fuit, hoc obtulit Deo: qui in exemplum humani generis præcesserunt. Omnes enim qui electa offerunt Deo, similes sunt Abel; qui deteriora, Cain operibus comparantur: et ejus qui

irrisit patrem suum, et nuditatem ejus fratribus nuntiavit; et illius qui ædificavit turrim in campo Sennaar, oblitus misericordiam Dei, a quo in arca servatus est, et liberatus a diluvio, et a quo benedicti sunt patres ejus. Qui furore quodam socios hortabantur, dicentes: Venite, dolemus lapides, ac cædamus sycomoros et cedros, et faciamus nobis turrim non considerantes ultionem turris Chalannæ¹, quomodo Deus diviserit linguas eorum, volentium ædificare turrim superbix ad cælum usque tendentem, et Orientalem plagam relinquentium; quia oblitus sunt legem Dei, quam in corde susceperunt. Nunc igitur provide et intellige ultionem turris; quæ, quamvis excelsa sit, ad cælum usque pervenire non poterat: et lapis super lapidem non relinquitur in templo, in quo contra Christum Pharisæorum est congregata impietas. Scriptum est: *Non pertransibit generatio eorum donec hæc² omnia fiant* (Luc. XXI, 32). Nunc tempus est, ut operemur Domino, quia salus nostra in tempore est angustix, si poterimus ejus calcare vestigia, et dicere semper: *Magnificetur Dominus qui diligunt salutare ejus* (Psal. XXXIX, 47). Et iterum: *Ego autem sperabo in te semper* (Psal. LXX, 44). Non enim est fides quæ tantum **88** tempore gaudii est, et deficit in tempore tribulationis. Scriptum est: *Quæ egredientur ex ore tuo, observa ut facias* (Deut. XXIII, 23). Et rursus: *Si voveris Domino, ne moreris reddere: ne forte requirat Dominus a te, et sit tibi in peccatum*. Quare si dixeris: *Ego autem sperabo in te semper*; et in hoc sponderis, imple oppere ut in tribulatione quoque salutem merearis a Domino, Recordare quod scriptum est: *Ne deficias et custodi consilium nœum et cognitionem, ut vivat anima tua* (Prov. III, 24). Qui enim custodit mandatum legis, servat animam suam. Scriptum est: *Operui nos umbra mortis, et non sumus oblitus nominis Dei nostri. Si expandimus manus nostras ad Deum alienum* (Psal. XLIII, 20 21). Et iterum: *Occupaverunt me laquei mortis, pericula inferni invenerunt me. Tribulationem et dolorem inveni. In omnibus his non est conversum retrorsum cor nostrum, sed nomen Domini invocavi* (Psal. XVII, 5 7). Dicit et alius credens corde firmissimo: *Non timebo millia populi circumdantis me* (Psal. III, 7.) Et hoc dicit, quia habet fiduciam in Deo. Fili, ne deficias, suscita amicum tuum, pro quo fidem fecisti, sciens quod omnes gentes ut surculi **89** ex igne, et sicuti stipulæ leves, quæ huc atque illuc aura celeri deferuntur, et sicut pulvis qui raptatur turbine. Scito quod scriptum sit tibi, ne cum videris equum et ascensorem, et infinitam multitudinem, timeas animo; sed memento Domini Dei tui qui dedit tibi fortitudinem, ut in prælio vinceres, qui

A omnes homines vult salvari, et ventre ad scientiam veritatis (I Tim. II, 4). Si audisti vocem Dei loquentis, *Cælum et terram ego impleo* (Jerem. XLIII, 24), non timebis, sed dices: *Dominus noster in cælo sursum* (Josue, II, 11), et super terram deorsum, ne audias: *Modicæ fidei, quare dubitasti* (Matth. XIV, 21) ? et tu rursus respondebis: *Nisi quia Dominus erat in nobis, cum consurgerent homines in nos, forte vivos deglutissent nos* (Psal. CXXIII, 3). Sæpe enim ab adolescentia tua pugnaverunt contra te: et tu portasti jugum fidei a pueritia tua. Nec percussus est dorsum tuum oneribus Ægyptiis, nec servierunt manus tuæ in cophino; quia circumcisionem amasti spiritalem: quæ occasionem dedit saluti animæ tuæ, Breviter auditis: grande periculum est hominis, dum mustum est, ne efferveat.

EPISTOLA PATRIS NOSTRI PACHOMII

Ad Syrum patrem monasterii Chnum, et Joannem præpositum domus ejusdem monasterii.

B IV. Transivimus per te, et non potuimus præ nimia festinatione divinum tecum conferre sermonem: ideo nunc per epistolam loquimur. Omni virtute contende; ut impleas consuetudinem monasterii, et facias quæ præcepta sunt; ne correctioni futuri temporis præpareris, fuerisque in peccatorum vinculis condemnandus, et offerendus Deo propter negligentiam, non solum tuam, sed et fratrum qui tecum sunt, et cooperantur ibi, scientium, quod ea quæ nobis dedit, illis fidelissime tradiderimus. Memineris et ministerii laborisque sanctorum, et amici tui, qui cognoverunt voluntatem Dei: ut et ipsi fiant cohæredes ejusdem re-promissionis, et habeant immortalem fidem a Deo, quæ creata est per spiritum prophetarum, et ab apostolis roborata. Qui sustinuerunt pro ea omnes angustias et persecutiones. Crediderunt enim re-promissioni ejus, et idcirco fragrantiam boni odoris sibi paraverunt. Consideremus ergo eos, quos Deus dominatione donavit, si forte eis servire mereamur, et eorum adhærere doctrinæ, relicta omni superbia et peccato: fortissime resistentes Alpha, quod absque timore operatur in corporibus. *Absorpta est enim mors in victoria* (I Cor. XV, 54). Et quomodo rursus infirmi sumus in hoc tempore: scientes quod statuta sit Ecclesia et dirigenda in bonum, sicut et prædixit tibi. Nosti quod non gloriatur securis sine eo qui præcidit in ea, et quæ doceant nos Scripturæ habere responsum mortis (II Cor. II): quam si devoraverimus, salvamus animam nostram. Non est timendus interitus in loco peregrinationis nostræ; sed pugnandum, quomodo pacem cum his qui Dei justificationes custodiunt, habere possimus. Heta, si lucreris omnem

¹ Sentit in Chalanne, quæ eadem cum Ctesiphonte ad Tigridem civitas putatur esse, Babelicam turrim fuisse excitatam, cui sententiæ post Eusebium Hieronymus, et passim scriptores Græci suffragantur, ex Isaia loco, x, 9, penes LXX: Τῆν

χώραν τὴν ἐπάνω Βαβυλῶνος καὶ Χαλάνης, οὗ ὁ πύργος ὑποδομῆθη. Regionem, quæ est supra Babylonem, et Chalanem, ubi turris ædificata est. Hæc tamen in Latinis codicibus desiderantur.

² In Vulgat. hæc, et Græco quoque αὐτή.

mundum, et habeas contra Deum inimicitias, quæ est utilitas? Docet igitur ut quæ dicuntur nobis, aliquando intelligamus: scientes quia mundus prætereat, et desideria ejus. Vigilate et videte quomodo ambuletis. Movimus quod ineruditus occurrat mors. Et **¶1** non intelligite tempora, in quibus est error et seductio. Considera horas atque momenta, et mensium spatia, quorum cursu humana vita devolvitur: et eorum numero scitur, quanto tempore unusquisque vixerit: ut possint colligere vires suas, et implere ex his horrea, et sementem futuris messibus præparare, et ut culturæ studia tempore missionis inveniant, et coram Deo et omnibus possideant necessaria, mortis timore superato, et transeunte mundo, non celebrent festos dies in veteribus vestimentis. Civitates destructæ sunt et repletæ alienis, qui haud pii sunt inire consilium sapiens. Fluxit in deserto aqua, et exultaverunt jumenta ac volatilia. Sapiens et continens homo non ungetur unguento, quod demolitæ sunt muscæ morientes, et quod compositum est filiis agri. Ideo vigilare debemus, et omni sollicitudine futuris lapidibus providere: ut non confundamur in tempore, quando venerint tempora refrigerii, et ne inveniamur subditi servituti, sed ut simus nova conspersio: scientes quod pulchritudo nobiscum sit. Loquitur et alibi sermo divinus: *Numquid comedam carnes taurorum aut sanguinem hircorum bibam (Psal. XLIX, 13)?* Quamobrem non circumferamur omni vento doctrinæ: quia venit tempus ut sancti regnum accipiant. Expandit Sion manus suas, non est qui consoletur eam. **¶2** Juvenes infirmati sunt in plagis lignorum: dispergentes aquas itineris sui. *Myrmicoleon perii, eo quia non haberet escam (Job. IV, 41).* Qui cum fure partitur, odit animam suam. Profanas et novas doctrinas devita. Advena sicut indigena sit inter vos. *Occidit in grandine vineas eorum, et sycomoros eorum in pruina (Psal. LXXVII, 47.)* Acceptabilis regis minister intelligens. Mel invenisti, comode quod sufficit, ne forte satiatu evomas id. Memento judicii, et misericordiæ, ac fidei. Judicii, per quod regiones habitabiles fiunt: misericordiæ, per quam glorificatur Deus: fidei, quæ fundamentum est mortuorum atque vivorum: ut per hoc spem possidere valeamus. Pugna atque contende, et qui tecum sunt fratres, quia scripsi vobis in figuris et in parabolis, ut quærat ea sapienter, sequentes sanctorum vestigia: nec incuratis in iudicium Dei docti sermonibus ejus. Hiems præsentis sæculi nos ambulare non prohibeat: sed incessabiliter iustitiam Dei semper operemur recordantes illius testimonii: *Donec pertranseat hiems, et pluvia abeat ac recedat sibi (Cant. II, 11).* Deus adiutor nostri sit in pace, quæ mensuram non habet largitatis, quæ sit in domibus nostris, donec vespertinum tempus pertranseat. Hæc omnia scripsi vobis, ut nunc laborantes requiem in futurum habere possitis.

EPISTOLA PATRIS NOSTRI PACHOMII

Ad universa monasteria: ut cuncti fratres congregentur in monasterium majus, quod vocatur Baum, in diebus Paschæ, et sit omnium una solemnitas.

V. Curam vestræ prudentiæ congregandæ subire debetis, ut sit aperta janua vestra antequam exeatis e sæculo. Pauper cum vescitur, juxta mensuram suæ paupertatis vescitur. Dixi vobis, ut noveritis horas ac tempora pueritiæ vestræ, ut non sitis solliciti de domo, quæ præparata est vestra venatio. Et vos quando venitis ad nos, habetote sollicitudinem lectuli infirmantium, ut sternatis illum, et non indigeatis pane. Si quando invenire valeatis culcitram sive pulvillum ad caput, ut languidi requiescant: ut monumentum quod nobis scriptum est, impleatur: *Si quis autem suorum, et maxime domesticorum, curam non habet, deterior infideli est (I Tim. V, 8).* Gith virga excutitur, et cyminum comeditur cum pane (*Isa. XXVII*). Si atrectastis capillum capitis vestri, et invenistis unguentum barbæ vestræ, quod descendit usque ad simbriam vestimentorum vestrorum, implere poteritis omnia quæ scripta sunt nobis. Legimus alibi: Ne deficient oculi vestri; alacrior est enim merces operibus tuis: ideo fluant oculi vestri aqua, et defluant lacrymæ diebus ac noctibus, nec deficient. Volo vos esse similes eorum, qui ignoraverunt dexteram suam et sinistram. Vigilate, et tendite arcus vestros. *Tetenderunt enim adversarii arcum, rem amaram (Psal. LXIII, 4).* Recordamini quod sancti aperiant ostium suum omni transeunti. Præcipitur nobis ut intremus cubiculum nostrum, et claudamus ostium, nec omni vento circumferamus. Unde diligentius oportet attendere, ne in bonitatis tempora absorbeamur; se ut imitemur ea tempora quæ **¶3** **¶4** fuerunt ante diluvium, quando unusquisque justorum placuit Deo cum omni domo ac liberis suis, et nullum peccatum inventum est in eis. Postea vero crescente iniquitate, et omni terra carnis vitiiis adhærente, offenderunt Deum, et in condemnatione eorum solus Noe cum domo ac liberis diluvio inundante servatus est, et periclitante mundo, tenuit justitiæ gubernacula, nec ulla peccatorum tempestate superatus est. Et qui eum deriserat, et fratribus suis nuntiaverat nuditatem ejus, maledictus est cum semine suo, et impletum est eo tempore illud quod scriptum est: *Qui inhonorat justum, peccat (Prov. XVII).* Et rursum: *Maledictus qui maledicit patri et matri (Exod. XXI, 17).* Sicut. Eseau contemnebat parentes suos. Unde scriptum est de eo: *Ne quis fornicator aut profanus, sicut Esau (Hebr. XIII).* Rebeccæque studio factum est, ut non consequeretur benedictionem, nec stolam primogeniti acciperet, offensis parentibus suis, qui reddentes ei vicem, et ad æmulationem boni operis superbiam illius provocantes, induerunt vestimentis ejus Jacob. Non enim merebatur eorum uti vestibus, quos superbus ac ri-

gidus negligebat. Et idcirco non diviserunt substantiam suam filiis ejus : sed cuncta dederunt Jacob, qui innocenter habitabat domum, et eorum obtemperabat imperiis. Loquitur et Salomon de Esau : *Filius inobediens in perditione*. Et Moyses pari sensu : *Maledictus, inquit, homo qui maledicit patri vel matri*. Rursumque Salomon : *Filio doloso nihil erit boni (Prov. xiv, 15)*. Perdidit ergo benedictionem, et paterna hæreditate privatus est. Quid loquar de Adam, qui ab initio humani generis in formam inobedientiæ contemptusque præcessit? Datus est enim ei dominatus in omnes bestias terræ; sicut et primogenito jussa sunt dari duplicia omnia. Postquam vero contempsit imperium Dei, non solum perdidit dominationem; sed et ejectus est de loco, quem ad habitationem acceperat in similitudinem hominis fornicantis, qui de Ecclesia ejicitur, et a quo aufertur gloria sua. Omnia quæ ille perpessus est, sustinebunt hi qui Dei jussa contemnunt, et ambulantes in superbia sentient illud quod scriptum est : *Dixit, et devoravit eos terra (Num. xvi, 32)*. Nos vero, justii viri imitemur exemplum, qui sapienter suam servavit domum, et gigantum percussa superbia, humilitate servatus est. Nec mirum si ipse et liberi, atque uxores eorum, de cuncto humano genere reservati sunt : cum etiam jumenta et volatilia evaserint mortem et obedientia liberati sint. Columbam emisit de arca Noe, quæ mittentis parens voluntati, ivit et reversa est, et condemnavit obedientia sua homines contemptores; eo quod avis audierit justum, et homines non audierint Deum. Omnes quoque bestię et cuncta animalia per obedientiam liberata sunt. Et quia talia erant, propterea de illis obtulit victimas Deo. Quæ historia nos docet, quæ scilicet in Dei offerantur sacrificio [*Al. sacrificia*]; et si obedientes ad illius fuerint jussionem, eruantur de laqueis diaboli, et ejus bonis perfruantur; non secundum opera justitiæ suæ, sed secundum misericordiam ejus, quæ ei omnes appropinquavimus. Quæ ventura scientes nobis invicem charitate jungamur, ut effugere possimus imminentem sententiam Dei. Noli ad iracundiam aliquem provocari, ne forte moriatur, et relinquare ligatus, omnisque ejus tristitia in tuam animam conferatur, et effundat iram suam super te Deus, quia et tu effudisti furorem tuum super fratrem tuum. Non obliviscamini mandatorum Dei, ne dicatur de vobis : *Verte runt ad me dorsa sua, et non faciem, et in tempore afflictionis suæ dicent. Surge et salvos nos fac (Jerem. xviii, 17)*. Et ipse respondebit : Arguam delicias eorum, et non eos faciam pervenire ad pascha, ad quod convocantur. Laboremus, invicem onera nostra portantes, sicut et Christus portavit infirmitates nostras in suo corpore, et non defecit. Si magister noster est Christus, simus ejus imitatores, et illius portemus injurias : ne in futuro tempore a nostris fratribus, qui tribulationes passi sunt, separemur. Sicut et alii passi sunt qui noluerunt virtutibus

A vacare, sed vitiis. Noster autem judex et testis est Deus, de cælo cuncta prospectans, et in die visitationis secundum opera singulis redditurus. Omniaque sancti ejus sequantur vestigia, quorum et nos debemus audire præcepta. Locutus sum vobis per infirmitatem meam.

95-96 EPISTOLA P. N. PACHOMII

Ad Syrum Patrem monasterii, quod vocatur Chnum, et Joannem præpositum in eodem monasterio unius damus.

B VI. Volo vos intelligere litteras, quas scripsistis mihi, et quas ego rescripsi vobis, et quomodo oporteat omnia spiritali Alphabeti elementa cognoscere. Scribite Moe super Heta et Theta, et scribite Zeta super Xi : et Mæ et Lambda et Iota. Quomodo legentes has litteras compleveritis, scribite vobis, ut intelligatis mysteria litterarum. Ne scribatis Moe super Xi et eta et Hi : sed ut magis scribatis Zeta super Xi, et Moe super Heta et Theta. Susceptis litteris vestris statim rescripsi, et ad mystica ego quoque sacrata respondi. Animadverti enim terminos esse Epistolæ vestræ Heta et Theta : et idcirco etiam ego in eundem sensum verbaque consensi : ne impar videre vestræ negligentia, et aliquid ex nobis damni sustineretis. Scripsi ergo vos Simma Phi : rescribite Chi. Itaque nunc in diebus istis non scribimus Theta Moe. Et ne dixeritis : Possumus scribere N, Heta, Phi, Labda, OYYOYY, Labda, Iota, Labda; ecce scripsi vobis et Xi totum atque perfectum in gyros. Et vos scribitis Xi et Phi, ut possitis scribere Simma Moe. Ecce Theta scriptum est antehac. Sufficiat vobis curam habere Kappa et Tau. Si tamen exituri estis, scripsimus vobis Hi, propter laborem vestrum, ut omnem adhibeatis sollicitudinem antequam proficiscamini. Nam et nos eandem curam habemus quam et vos : neque scripsimus Kappa et Tau. Scripsi vobis nomine, unde et vos, quando videritis scriptum Kappa et Tau, rescribite Zeta. Quando videritis Simma et Phi, rescribite Moe. Quando YOYY Kappa, Ro, quia invenimus scriptum; nos autem scripsimus Simma, Phi habete curam. Hoc enim scribitur in diebus istis Ro, solliciti estote; quæ litteræ vocantur Ægyptiace Orez et Thei. Scriptum invenimus enim, quæque vocantur Ægyptiace litteræ Rei et Thei. Habeto ergo curam Hi, et scribite Alpha; quia dedi vobis illud pro Hi. Scribite quoque Simma, qui scriptum est Tau et Delta, ut ad nos pervenire valeatis. Cavete ne obliviscamini scribere Psi super Kappa, quia scriptum est prius, et Ro ante illud scriptum est : et ne forte dicatis Theta scriptum esse, et partem Xi. Ideo totum scribimus Beta; ne diceretis quod Gamma sit scriptum. In omni Epistola quam scripsi vobis, de vestra sessione continetur et de resurrectione, et de umbra antemuralis, quæ est extra murum. Odor sapientiæ vestræ ad nos usque pervenit, et compulit hæc vobis scribere. Et vos ut

sapientes intelligite quæ scripserim vobis ; et exhibete vos quales meus sermo describere elegit.

EPISTOLA PATRIS NOSTRI PACHOMII

Ad universa monasteria, ut congregentur omnes monasteriorum principes et domorum præpositi in monasterium quod vocatur Baum, vicesimo die mensis qui apud Ægyptios appellatur Mesore [Lat. Augustus], ut rite omnium peccatorum atque operum remissio compleatur.

VII. Tempus in proximo est, ut in unum conveniatis juxta morem pristinum, juxta antiquam consuetudinem, ut remissio omnium rerum rite celebretur, ut cognoscatis invicem : ut dimittant singuli, juxta præceptum Evangelii, debita fratribus suis, et tristitias ac simultates : et si quid est jurgii, a choro sanctorum abigatur : ut liberent corda sua timore Dei, et fugato mendacio, domine- tur veritas, ut cessantibus bellis, pacis tranquillitas redeat ; et in ea ambulare possitis coram Deo et hominibus : ut omnes æqualiter diligatis : ut serviatis Deo atque concordia, et non concupiscentiis variis, et errori oculorum vestrorum : et tumentis scientiæ fraudulentis, carnisque vitiis. E quibus oriuntur schismata, et contemptus legis Dei, contentio, malæ cogitationes quæ igne iracundiæ bul- lientes quandoque erumpunt foras, et despumant in corporis voluptatibus. Idcirco scripta est lex Dei, ut lex corporum et jura solvantur : et erube- scant, qui in eorum 97-98 ambulant concupi- scentiis ; tandemque redeant ad Deum, et spretis temporalibus, æterna perquirant : præparati san- ctorum hæreditati, qui contempserunt præsentem vitam pro vita futuri sæculi : pro malitia sperantes benignitatem, pro tumultu atque discordiis pacem et concordiam, pro adoptione carnis, famulatum Dei. Ut ea quærant, quæ placent illius voluntati, carnis incentiva superantes. Scriptum est enim : *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester, qui in cælis est, delicta vestra (Matth. vi, 12).* Et rursum : *Dimittant singuli fra- tribus ex corde suo. Et iterum Dimittite, et dimit- tetur vobis (Matth. xviii, 14).* Et deinde : *Benefacite his qui oderunt vos (Luc. vi, 27).* Et alibi : *Ne vin- caris in malo : sed vince in bono malum (Rom. xii, 21).* Et illud : *Ne dicas, Vindica me de inimico meo (Luc. xviii, 3).* Et alibi : *Non reddentes malum pro malo (I Pet. iii, 9).* Et iterum : *Providentes bona coram omnibus hominibus (Rom. xii, 17.)* Et illud : *Non vosmetipsos vindicantes, charissimi (Ibid. 19.)* Nec non et alibi : *Estote invicem benigni, operantes bonum ad omnes (Galat. vi, 10).* Et iterum : *Diligite inimicos vestros : benefacite his qui oderunt vos : orate pro his, qui vos persequuntur (Luc. vi, 27).* Considerimus ergo, fratres charissimi, quantis testimoniis homo fidelis concluditur a Deo ne pec- cet : si tamen voluerit audire legem ejus, et incli- nare aurem suam præceptis illius : aperire oculos, dirigere cor, ut possit implere quod dicitur. Multi enim sunt qui desiderant quidem bona, et Deum

quærent cum lacrymis, et diebus ac noctibus in- gemiscunt : sed decepti oculorum concupiscentiis, et carnis titillationibus superati, dormierunt in gemitu et dolore cordis, quod non potuerunt do- minari carni suæ, et æstuantium cogitationum in- centiva comprimere ; pro firmis et perpetuis inania brevique sectantes. Qui desiderant legem, et opere Dei destruunt voluntatem ; vera judicant, et vincun- tur mendaciis. Ideo Ingemiscunt, juxta eloquia prophetarum, et perpetuo terrore fluctuant, donec deficiant, et tabescant in viis suis et dormiant in doloribus. Qui autem vere justi sunt, et habent in se pacem, perfruuntur gaudio sempiterno.

EPISTOLA PATRIS NOSTRI PACHOMII

Ad fratres qui tondebant in deserto capras, de qua- rum filis texuntur cilicia.

VIII. Deus quærit diligentes se : sicut invenit Israel quasi uvam in deserto, et quasi ficus primi- vas, sic inventus, est et Jacob in Mesopotamia cum erraret quasi uva in solitudine, et Joseph in Ægypto sicut ficus primitiva : quem inter omnes fratres suos cognovit Deus, et dedit ei principatum post multas angustias. Quem debemus imitari, quia vicit carnem suam, prostravitque peccatum, et oculorum calcavit insidias. Non est secutus sa- turitatem ventris, ut servaret animam suam san- ctam Deo, ut fieret templum Spiritus sancti, et captivitatem libertate mutaret. Non obliviscetur Deus timentium se, et facientium justitiam ejus. Unde et ille adolescens, atque in lubrico ætatis positus, quem carnis blandimenta non vicerunt, vicit vincula et carceres, et in loco angustia pla- cuit Deo. Et nos ergo confidamus, quod Deus no- biscum sit in solitudine, et recordatio ejus semper in corde sit nostro. Servemusque sanctam carnem et animam in deserto, sicut et Joseph in captivitate servavit, ut meminerit nostri Deus, et sit nobiscum usque ad finem.

VERBA PER LITTERAS P. N. PACHOMII

In lingua abscondita, de his quæ futura sunt.

IV, ΔΩ. Sæcula efferbuerunt in malo, quod est Delta. BR fructus completus est in labiis, quod est Tau. IX. Deus oblivisci fecit me paupertatis in domo mea de capite montium usque ad verticem eorum, quod est ΡΟ. ΑΦ propter dormitationem viduæ, et gloriam pauperis, quod est ΟΥ. ΕΥ. Audierunt montes lætitiā terræ, quod est ΞΕΙ. Terra abs- condita est absque pretio, quod est Ν. ΝC planæ erunt super oculis usque ad vesperam I. ΕΡ. putasne respicient super puteum, quod est Π. ΙΥ. Biberunt absconditum in lætitiā, quod est Ισot. ΡG tactum est spolia terræ sine sanguine. ΝΑΞ facta sunt profundi abyssi in luctu cordis, quod est ΞΕ. ΗΝ. Fugerunt absconditi sine timore, Quod est ΟΑΩ. 99-108 Qui novit si revertatur et agat pœnitentiam Deus. ΤΒΥ. Lætentur cæli, et exsultet terra. ΘΙΧ. Dan expectat salutare Dei ΟΑΦ. de Nazareth potest aliquid boni esse ΒΙ ΕΥ. Benedictus Deus escam dedit timent-

bus se ΩΚΖΤ. Fructus oris mei dulcis factus est in labiis meis INC. Dominus dat mihi linguam discipline AΘP. Non moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini. ΙΩ. Qui ingreditur per me, salvus erit. ΤΚΟ quæritur iudicium Domini ad populum ejus Damascus. ΟΑΖ quia misertus est Deus Israelis, et humiles populi sui consolatus est. MN. Sicut aqua frigida animæ sitienti, sic nuntius bonus de terra longinqua. ΘΡΝΙΝΖΟΡΠΠ.

VERBA QUÆ LOCUTUS EST P. N. PACHOMIUS

In visione erudiens fratres in monasterio Mochansi de his quæ eis eventura essent, et illo dicente et loquente in spiritu, excepta sunt a fratribus, quæ vel facturi essent principes monasteriorum, vel pasuri.

ANNAMMAABNIPIZZOIGIΘ PHCQVYTYX
VAOMNΠΦΧΓΘΙΑΨΒΙΜΖΤΑΖΑΡΕΤ.

X. Monasteriorum principes operati sunt iniquitatem in sportellis suis: gladius perditionis ipsorum sub axella eorum, qui est ortus: insidiantur apud januas inferni. Abundantia terræ et bona quæ largitus est Deus filiis hominum, dixerunt: Venite, et scrutemur vias nostras, et videamus si invenianus fermentum, et mittamus illud in massam farinæ, quæ non possit elevari, neque in altum consurgere; sed deficiat fame. Paraverunt laquos pedibus suis, et arcum manibus, et securim humero portaverunt: veneruntque ad hominem qui habebat serram, et dixit eis: Ite, et ligua præcidite. Et dixerunt ei: Nequaquam; sed scrutamur vias nostras, et invenimus fermentum, ut mittamus illud in massam, quæ non elevatur, neque in altum potest consurgere, sed defecit fame. Vocavit ergo homo amicos suos, et excoriaverunt pedes eorum, summitatesque manum, hoc est, digitos: et defluerunt in terram. Venerunt autem pulli corvorum, et detulerunt eos, fecerunt ibi nidum, et corvi genuerunt in locis eorum, ac per eos inhabitata est terra.

VERBA PER LITTERAS P. N. PACHOMII

In lingua abscondita, de his quæ futura sunt.

XI. Verax est in omnibus Deus, qui dicit PN, omnes torrentes vadunt in mare K. Dominus respexit de cælo. A. Non est ultra sapientia in te. ΜΑΝΥΤ Placet domino in his qui timent Dominum. COOM Exsurge, ut quid dormitas, Domine? Θ sapientum oculi in capite eorum. Arrabon est patientia pauperis. ΗΘΑΜ Lætitia justorum facere iudicium. N filius sapiens iudicium. ΦΥ dolor stulti est deficere disciplinam. T aufer vestimentum ejus; præteribit enim injuriosus ΥΦ. et allis faciet contumeliam. CN. Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis. KM usquequo respicis contemptores, et tacebis? TMA. Defecerunt oculi mei in

A salutare tuum. CΘ cor sapiens intelligit parabolam. T vidimus quod Sion spoliaverit se gloriam, quam habuit ab initio: idcirco non incanduit C. Inter litteras NY non scribitas Z, sed magis ex superfluo scribite AOA. AIA scio quod scribas ex temetipso. In his omnibus memento A, festina ut scribas I. et dicas quod iqsius sit hucusque E. scriptum est ΙΝΩΧ. ipse scripsit Z, et si scriptum est similiter et K. rursum expansum habeto O. Tibi necessarium est numerare, et sic iterum scribo A et CIII. Pone Ω ante oculos tuos, ut bene sit animæ tuæ. Memento C. quod reversum sit in Kalendas, quod est ΩΘ OΥ. Memento et scribe Z, propter K, quod est scriptum, non quo ego tibi nunc dicam, sed quo confidam, quod hanc diem audieris. P rursum tendit manum suam ad nos in diebus istis. Ante oculos tuos cor nostrum dolet pro C, quia vere est C. et sunt obliti Kalendarum. 101-102 Quod autem scripsistis A CHI, et alius ante nos fecit hoc idem, et dixit: *Ecce mitto vos sic oves in medio luporum (Math. x, 16)*. Audivimus rursum de EINΩ, quod duæ sunt molentes simul; una assumatur, et altera relinquatur.

EPISTOLA PATRIS NOSTRI THEODORI

Ad omnia Monasteria de Pascha.

XII. Apropinquavit solemnitas azymorum, in qua Pascha celebrandum est, de quo et Moyses erunt populo de terra Ægypti præcepit dicens: *Comedite illud cum omni festinatione (Exod. xii, 11)*. Josias quoque rex justus diligentissime celebravit Pascha in diebus suis, et studium ejus hucusque narratur (IV Reg. 11). Super quo et Apostolus loquitur: *Pascha nostrum immolatus est Christus (I Cor. v, 7)*. Itaque in eo festa celebremus, sicut præceptum est nobis. Accingite lumbos vestros, et calceate pedes calceamentis evangelicis: habentes baculos in manibus, et lucernas ardentes; ut possimus comedere Pascha cum festinatione, et ascendamus in Jerusalem ante sex dies Paschæ, sanctificantes nosmetipsos, ut sanctum diem in sanctitate celebremus, absque malitia et nequitia, in sanctimonia et veritate, qua præcepit nobis et Apostolus, et Pater noster, a quo cœnobiorum vita fundata est¹. Ut pariter congregemur in pace, juxta terminos quos præterire nefas est: ut nullus nostrum absque dispositione majorum in monasteriis remanere desideret; ut convenientes, absque præcepto majorum non veniant. Nos quoque qui videmur præpositi esse fratribus, et conversationis eorum ostendere regulas, absque necessitate gravi non eos patiamur residere domi: nec pro nostra occasione Paschalis frequentia deseratur; ut inveniamur evacuare præcepta Patris nostri; sed ut contriti ea quæ scripta sunt ab eo, normam veri-

¹ Plures hujusmodi epistolas a Theodoro conscriptas, easque *sanctarum Scripturarum sermone digestas*, Gennadius memorat cap. 8.

² Pachomius nempe, cujus tertio quoque verbo

meminit in hac epistola, quemadmodum et Gennadic notatum est, cap. laudato, quod *frequenter meminert magistri et institutoris sui Pachomii et doctrinæ ejus ac vitæ proposuerit exempla.*

tatis putemus ; et glorificetur Deus, qui posuit sicut aves familias. Videant recti, et lætentur ; et omnis iniquitas obturet cor suum. Ut omnes nos, senatus filiorum Israel, et cum eis secundi veniamus ad Pascha, et nullus e nobis reliquus inveniatur, qui non impleat terminos Patris nostri : et dispensatores monasteriorum et domorum præpositi, et omnis ordo fratrum, universaque membra in unum corpus coeant, ut suscitent templum Deo. Congregemur autem in pace atque concordia : ut fines sanctorum et Patris nostri regulas impleamus. Sed et catecumeni qui sunt in monasteriis, et exspe-

ctant terribilem remissionem peccatorum, et gratiam spiritualis mysterii, audiant per vos, quod flere debeant et lugere antiqua peccata, et præparare se sanctificationi animarum et corporum, ut possint sustinere sanguinem et corpus Domini Salvatoris : de quo etiam cogitasse terroris est. Cætera autem quæ facere debeatis, optime nostis, nec necesse est per epistolam commonere : ut præparetis vos in tempore constituto, quod Pater noster disposuit. Nos et omnes fratres, qui nobiscum sunt, vos impendio salutamus, et universam fraternitatem quæ in vestris est monasteriis.

S. EUSEBII HIERONYMI

STRIDONENSIS PRESBYTERI

INTERPRETATIO LIBRI DIDYMI ALEXANDRINI DE SPIRITU SANCTO

ADMONITIO.

Didymus Alexandrinus, qui miraculum sui præbuit, quod captus a parva ætate oculis, ipsorumque elementorum ignarus, omni tamen scientiarum genere, iisque etiam quæ maxime visu indigent, fuerit expolitus, inter cætera que ingenii sui reliquit monumenta, hunc *de Spiritu sancto* librum frequenti fratrum exhortatione compulsus est scribere, ut nonnullorum commenta refelleret circa Spiritum sanctum, quæ neque in Scripturis lecta, neque a quoquam ecclesiasticorum veterum fuerant usurpata. Hieronymus, qui Didymi eruditionem cum primis est admiratus, eoque magistro usus Alexandriæ, primum quidem impellente Damaso Romano Pontifice, cum Romæ ageret, Latinis illum verbis cœperat explicare, deinde Jerusalemam postliminio reversus, Pauliniani fratris hortatu, ex integro vertit atque edidit.

Singularis porro est liber, quemadmodum et Hieronymus ipse quoties eum laudat, ut in Catalogo cap. 109, et libro II in Rufinum : et mss. codices quotquot inspeximus, testimonio sunt. Augustinus quoque lib. II *Quæstionum in Exodum*, cap. 25, Nicephorus I. I. cap. 17, et Ratramnus, qui Hieronymianam hanc ipsam versionem legit, *contra Græcos* lib. II cap. 5, unicum librum vocant ; nec nisi incommoda *περὶ πρῆξ* factum est, ut contra auctoris atque interpretis mentem ad hanc usque diem ab editoribus criticisque in tres libros vulgo fuerit dispertitus. Ipsa etiam librorum distinctio fortuita est atque inutilis ; nam exempli gratia, tertius liber e media prophetici loci expositione initium jussus est sumere, quod vitium est ab erruditi scriptoris ingenio alienissimum. Sed in tres quidem partes, aut capita commode possit distribui ; nam primo Spiritum sanctum diversæ ab angelis naturæ esse multis argumentis ac testimoniis constituit ; deinde ejus quoque nominis invocationem in baptismo necessariam probat, ut imperfecte baptizet, neque adeo a peccato liberet, qui reticuerit : tertio indivisibilem esse illum, atque impassibilem, Patri ac Filio *ἁμοούσιον*, atque aliis divinæ substantiæ attributis præditum docet.

Græcus Didymi textus intercidit, eumque fortasse e doctorum manibus excussit ipsa Hieronymi interpretatio ; de cujus tamen fidelitate non satis consulte videntur nonnulli detrabere, dum multa, quæ ab Alexandrino auctore haud processerint, assuta, multaque alia, et præcipue Origeniani dogmatis, cui erat addictus menda purgata, ab interprete comminiscuntur. Exiguam sane rationem esse velim ejus, quod tamen præcipuum est, argumenti ex *ἁμοούσιον*, et *ἀνομοούσιον* vocibus, a quibus, Adamantii sectatores multum contendunt abhorruisse. Nam neque ita singulis Origenianæ sententiæ capitibus Didymus fuerit obstrictus ut nihil licere sibi putaverit, neque si nihil præterea ausus est, quando ejus Græcum exemplar desideratur, probari ullo modo possit. Cætera quæ in eam rem adducuntur longe sunt infirmiora.